

IV. — Poterit etiam dirigere exercitia quotidiana religiosa, uti etiam coetus congregationis B. M. V. etc.; nisi alteri haec officia tradere visum fuerit Rectori.

V. — Non obest, ut, ubi propter defectum personarum opus fuerit, sit eodem tempore professor theologiae moralis, aut eloquentiae sacrae, et director exercitiorum alumnorum, in habendis concionibus: dummodo tamen propter eorum numerum haud nimis oneretur. Contra minime convenit, ut partem habeat in iis, quae spectant ad disciplina et rei domesticae administrationem.

VI. — Ut prospiciatur libertati confessionis et verecundiae confitentis, convenit omnino, ut praeter praefectum spiritus, saltem duo confessarii designentur, aut plures, pro numero alumnorum. Item ut una et altera vice per annum et saltem in exercitiis annuis extraordinarii confessarii nominentur.

v.

De Praefecto studiorum et disciplinae.

Poterunt, ut saepius fit, duo haec officia in una persona coniungi, nisi numerus alumnorum maior, id fieri vetet. Summi autem momenti esse ad haec eligi virum ex omni parte aptum, satis clare patet et experientia docet.

I. — Licet enim basis generalis et regulae praecipuae, ab Episcopo et dein a Rectore tum pro studiis tum pro disciplina statutae fuerint, erit praefecti haec in singulis adaptare dispositioni loci et personarum. Quidquid tamen ipsi conveniens videatur, exceptis rebus minoris momenti, nil statuatur definitive, nisi con-

sulto praeve Rectore, praesertim uti mutandum aliquid visum fuerit in iis, quae hucusque fieri solebant.

II. — Praefecti studiorum erit dirigere studia, invigilando magistris ut observent, quae statuta fuerint quoad horas lectionum, auctores, exercitia litteraria, praemia et poenas decernendas. Aliquando ipse assistat lectionibus, praesertim ubi iunior aut novus est magister, ut dein (non coram discipulis) hunc moneat et instruat, si opus fuerit. Ad illum remittant magistri dubia sua, eius consilium et instructiones petant, eiusque directionem in omnibus sequantur, nisi Rector aliter, audito praefecto, statuatur. Nihil obest, quominus et ipse aliquam materiam doceat, dummodo non impediatur a suo munere recte exercendo.

III. — Sit igitur oportet vir doctus, humilis tamen et affabilis, debita severitate et firmitate minime carens: zelose procurando studia promovere et simul dilatare animum magistrorum.

IV. — Praefecti disciplinae, ut nomen indicat, est dirigere disciplinam et bonum ordinem domus, in omnibus quae spectant alumnos. A Rectore tamen rescire debet, quousque eius extendantur facultates, et in dubiis ab illo consilium petat; ne quidquam, eo inconsulto, immutet circa iam statuta et ordinem domus.

V. — Ipsius erit de mandato Rectoris ordinem diarium statuere, horas surgendi, docendi, refectionum, recreationum etc. Ad ipsum magistri et invigilantes seu zelatores recurrant, si quid offenderint alumni, ipse solus imponet poenitentias maiores, non autem magister aut invigilans.

VI. — Praecipue curam gerat, ne cum internis agant aut loquantur externi, si fuerint inter alumnos,

nec quidquam pro illis emant aut litteras etc. deferant.

VII. — Altera cura sit silentii, ut ab omnibus observetur, in scholis praesertim et aula studiorum; in sacello; ad mensam, dum legitur; sed imprimis absolute in dormitoriis.

VIII. — Suo tempore, recreationes tum ordinarias procuret alumnis, tum extraordinarias, et conetur hilaritatem eorum fovere.

IX. — Maxime autem invigilet, ut mores boni et sancti ab omnibus observentur. Quidquid hisce contrarium noverit, aut ad ipsum delatum fuerit, ad Rectorem deferat, ut iuxta eius consilium remedium opportunum afferatur, et praecipue ut omnis conversatio nociva praepediatur. In hisce maxima severitate utatur, ut opportune venena et contagia e domo eliminentur.

§ VI.

De ministro.

Praeter praefectum, qui in collegio est omnino necessarius, convenit ut Rector habeat etiam ministrum, qui ipsi sit ad manum, et qui invigilet oeconomiae et regimini domus materiali, et ad hoc quotidie a Rectore circa haec directionem et mandata accipiat. Non enim potest Rector in domo magna et familia numerosa omnibus sufficere, neque convenit ut res minores per se agat et in omnibus minutiis oeconomiae domesticae se ingerat.

Habeat proinde ministrum qui praesit famulis, qui quotidie necessaria praebeat emptori et coco; qui invigilet ne provisiones et utensilia ac mobilia domus destruantur et pereant inutiliter, praesertim etiam curet

ut mundities in omnibus et ab omnibus observetur. Hic si aliter fieri non posset, etiam laicus esse potest: dummodo vere fidelis et prudens.

TITULUS X.

DE COLLEGIIS SUBSIDIARIIS ET DE SCHOLIS
SEMINARIO ADIECTIS.

Seminarii subsidium est schola quae pene ab incunabulis pueros excipit, ea qua par est pietate informandos, qui digni efficiantur ut in sortem Domini vocentur; his praesertim temporibus quibus familiarum christianarum decrescit fervor ille, qui olim vocationum ecclesiasticarum tam copiosos reddebat fructus.

Hoc parvulorum elementare gymnasium est veluti hortulus in quo germina sparguntur, ut postea ex herbis recenter natis plantationes fiant, quae in loco ampliori radices agant. Ideoque:

I. — Summopere curandum est ut prope seminarium schola instituat, ubi nimirum opera detur ut pueri, primas litteras ediscendo, christianae virtutis rudimentis imbuantur. Ut plurimum, haec schola externorum sit oportet, quia temporis distributiones pro pueris seminarii statutis non facile accommodantur.

II. — Ad fovendum in teneris animis devotionis fervorem ac nobilem pro adipiscendis virtutibus aemulationem peropportunum videtur Sanctorum Angelorum Custodum societatem instituere, sub Beatissimae Virginis Mariae, et Sancti Aloysii Gonzagae tutela ac favore.

III. — Quod Antistes in civitate episcopali facit, idem parochi in sua quisque paroecia facere cona-

buntur, scholam scilicet instituere, pro puerulis ac iuuenibus, fide, pietate litterisque erudiendis, ubi maxima cura adhibeatur spargendo tenerrimis cordibus pretiosa virtutum germina totoque virium nisu puerorum animos excolendo, ut eorum indoles et ingenium facile dignoscantur, et ad servitium altaris tum animi tum corporis dispositionibus eminentes seligantur, si aliunde vocationis signa praebuerint.

IV. — Cum autem ob magnas in seminariis Dioecesanis expensas, ut plurimum, a sequendis studiis ecclesiasticis optimi adolescentes arceantur, eorumque ardor ad sacra ministeria elanguescat, quod causa est ut divina vocatio periclitetur: huic tam magni momenti difficultati occurrendi causa, statui volumus seminaria subsidiaria pro temporum et locorum circumstantiis, ubi fas sit, in quo pauperiores iuvenes sine magno incommodo studiorum curriculo initium dent, postea in seminario Dioecesano eum prosequuturi, sive propriis sive dioecesis sumptibus, ob merita in succursali collegio gratia acquisita.

V. — Succursalia gymnasia iisdem regulis et studiorum ordine in seminario minori statutis, in quantum fieri possit subiiciantur.

TITULUS XI.

DE SACERDOTIBUS PRAE SENIO, AEGRITUDINE AUT ALIA RATIONE INVALIDIS, ET DE COLLEGIO EMERITORUM.

Accidit saepe nimirum, ut presbyteri qui in opus Domini impenderunt se et superimpenderunt, tandem annis oppressi vel operoso labore fracti, ad pastoralia officia inhabiles evadant. Alios sive gravis ae-

gritudo sive casus adversus praemature a sacris ministeriis arcet.

Plerisque autem desunt temporalis vitae subsidia quae nisi opportune subministrentur aut mendicare coguntur, aut egestatem pati et atroces aerumnas. Res sane est commiseratione digna et ipsa caritas, non minus quam ratio decoris clericalis, admodum postulant ut eiusmodi sacerdotibus de victu, domo ac rebus omnibus ad cultum vitae necessariis liberali animo provideatur.

Praeterea futurae indigentiae timores causa esse possent cur nonnulli « pecuniam coacervare incipiant, quam aliter in alendis pauperibus et in religione dilatanda erogavissent » (Conc. Prov. Austral. a. 1866, tit. IV) cui sollicitudini locus non erit, si necessitatibus propectae aetatis secura et stabili ratione consulatur.

I. — Quae cum ita sint, Patres Concilii Primi Antequerensis officii sui esse arbitrantur, eos sacerdotes qui laboribus impares facti sunt, omni ope solari, fovere, adiuvari, eisque praecipuas curae partes deferre. Etenim fratres nostri sunt sacrorum administri, in pastoralis munere fideles adiutores; et aequum non est ut postquam pondus diei et aestus portaverint, a nobis deserantur.

II. — Patet ipsum fidelium gregem cui presbyter inservivit et in cuius commodum vires suas attrivit, teneri pastori infirmo, aut annis gravi aut alia de causa ad egestatem redacto, honestam ministrare sustentationem. De quo munere recte implendo populus christianus admoneatur.

III. — Si tamen is prae inopia non possit aut prae durtia non velit urgenti infortunio subvenire, Episcopi erit et reliqui cleri manum porrigere adiutricem. Praeter

alia adiumenta, operam dabunt ut sacerdotibus veteranis, aut alias a ministerio impeditis, non desint stipendia Missarum: eisdem, pro cuiusque merito, conferantur subsidia quorum fructibus alantur.

IV. — Verum haec subsidia partim praecaria videntur partim haud sufficientia: ideoque in unaquaque Dioecesi fundus permanens constituetur, unde sacerdotes morbo aut senectutis incommodis affecti, pensionem annuam percipiant. Ad quem fundum conflandum, expedit tum fidelium caritatem excitare, tum praesertim clericos omnes hortari ut quotannis tempore statuto exiguam et certam stipem contribuunt. Aes illud collatitium administretur vel pro arbitrio Ordinarii, vel potius adhibito cleri totius consilio et opera: scilicet in prima Synodo dioecesana post hoc Concilium Provinciale celebranda, definiatur a quibusnam et quomodo largitiones ac stipendia sint colligenda, ordinanda, distribuenda. Ibidem expendi poterit num forte conveniat nomen dare alicui ex societatibus illis quae de mutuis auxiliis nuncupantur (*socorros mutuos*).

V. — Valde prodesset domum erigi ubi presbyteri, senio vel aegritudine confecti, vitam agant communem: sic enim et aegrotis cura adhibebitur diligentior et spiritualibus omnium indigentis securius consulatur, et minoribus expensis victus abunde comparabitur. Episcopus regulam et formam vivendi praescribet, qua tamen iusta sacerdotum libertas non plus aequo coarctetur. Si eiusmodi fundatio necessaria quidem videatur, sed nimii sumptus quam ut a singulis dioecesibus possit sustentari, unum saltem collegium, communi Praesulum auctoritate et iunctis conatibus, pro tota Provincia instituat (Conc. Tuamense II, an. 1854. — Conc. Pragense an. 1860, tit. VIII, cap. 3. — Conc. Colo-

cense an. 1863, tit. IV, cap. 15. — Conc. Baltimorense II, an. 1866. — Conc. Australiense an. 1869 decr. 4).

VI. — Ubi tandem collegium emeritorum aperietur non statim cogendi sunt ut in illud se recipiant. Sit illis integrum commorari ubicumque libuerit, et acceptis pecuniis uti pro arbitrio suo, dummodo se probe gerant prouti sacerdotalem decet vocationem. Quod si vitam non agant clericali statui consentaneam adiguntur ut in contubernio resideant.

VII. — Presbyteri ad quietem redacti, sive in domo communi degant, sive extra illam, ab obligatione sanctae obedientiae nequaquam eximuntur: sed tum Episcopo, tum domicilii sui parcho obnoxii manent in iis omnibus, quae sacri canones vel provinciales hae constitutiones de clericorum honestate sanxerunt.

VIII. — Decreta haec favere haud debent iis qui stipem quamvis exiguam conferre recusarunt, neque sacerdotibus ob gravia sua delicta beneficio privatis. Nihilominus, si omni facultate sint destituti, et spem praebeant fore ut ad sanam frugem reducantur, poterit eorum paupertas, quum Episcopo ita visum fuerit, ex subsidiariis fundis dioecesanis sublevari.

IX. — Imo vero, utiliter erigeretur asylum eorum mansioni et correctioni destinatum quos, in crimina lapsos, Antistes a sacris ministeriis prohibendos esse iudicavit; ut ibidem salutaris disciplinae freno constricti, spiritualibus documentis adiuti, ac demum emendati, ad pascendum gregem revertantur; aut « sapere nolentes, ex mundi huius oculis prorsus remoti in solitudinis sacro silentio aeternitatem efficacius meditentur » (Conc. Colocense a. 1863 tit. IV, cap. 3).

TITULUS XII.

DE CLERICIS VAGIS.

Quod spectat clericos, qui quacumque de causa nulli certo domicilio adscripti sunt, nec ullo officio, statui suo convenienti, occupantur, vel quod inhabiles sunt vel propter vitia propria non possunt ulli muneri destinari: indeque vagari solent ex una in aliam dioecesim, ubicumque maiora commoda et emolumenta inveniunt: convenit ut pro maiori bono communi et ad scandala et difficultates evitandas, regulae quaedam statuuntur et quidem statuimus sequentia decreta:

I. — Ordinarius non dabit litteras commeatus (*exeat*) clerico suae dioecesis, ut ad aliam possit transire, nisi accepto consensu Episcopi, qui eum recipiet.

II. — Si quis clericus miserit postulationem ad Episcopum alienum, ut illum recipiat, hic antequam eum admittat, requirat litteras testimoniales, quibus liber ab omni officio declaretur, et informationem super eius vita et gestis.

III. — Regulares non admittantur, nisi postquam exhibuerint litteras testimoniales Superioris sui. Quod si *saecularizationem* obtinuerint, praeter litteras testimoniales Superioris Regularis, exigantur ab eis documenta fidedigna de *saecularizatione* obtenta, et testimoniales Episcoporum, in quorum Dioecesi per aliquod temporis spatium permanserint.

IV. — Si quis clericus qui legitima studia sua peregit sumptibus dioecesanis, ordinem aliquem religiosum ingrediatur, servetur Constitutio Bened. XIV et Decretum S. C. a Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis in causa Passaviensi. Quoad alumnos Colle-

giorum Apostolicorum vel Pontificiorum, standum est statutis et decretis S. Sedis.

V. — Quoad paroecias regulares serventur Apostolicae Constitutiones, praesertim Constitutio Bened. XIV *Firmandis*.

VI. — Quamvis Episcopus omnia opera bona favore suo prosequi naturaliter debeat, tamen ne fiat in detrimentum proprii gregis, hisce nostris temporibus, cum ecclesiae privatae fuere opimis redditibus quibus olim gaudebant; cum ex alia Dioecesi vel regione clericus venerit ad colligendas eleemosynas, Ordinarius probe examinet, in quem finem colligantur, et super hoc litterae testimoniales sui Praelati et superioris exigantur; et si ex Europa advenerint, non eos admittat, nisi deferant litteras commendatitias Praefecti S. Congregationis de Propaganda Fide. Dein ubi licentia eis conceditur, moneantur quartam partem cuiuslibet summae quam collegerint, tradere debere Ordinario pro Obolo Sancti Petri, et quartam pro necessitatibus Dioecesis, in qua collectionem fecerint; reliqua, id est dimidium manere in favorem operis, quod ipsis commendatum fuit: de tota autem summa eleemosynarum collecta, rationem in scriptis exactam et iuratum reddere debere Ordinario Dioecesis, ubi illas collegerunt, toties quoties et ea sub forma, quam ipse Ordinarius in concessione licentiae ipsis praescripserit.